tibus baptizari. Est communis contra paucos: & quamvis Auctor hunc casum non expresserit, innuit tamèn tùm hìc ad 2. tùm 2. 2. cit. ubi dicit, pueros Judæorum non posse invitis parentibus baptizari; quia Judæi subduntur Principibus Christianis servitute civili: per quod innuit, quòd, qui subduntur servilitèr ut mancipia, possint baptizari.

Ratio est; quia dominus jure Gentium habet dominium reale in servos, & eorum filios, non minùs quàm in boves, & oves, ità ut possit illos donare, vendere, & ab invicèm separare, sine cujusquam injuria; pueri autèm sic separati baptizari possunt, invitis parentibus; quia tùnc respectu illorum cessat periculum Apostasiæ. Undè, quamvis dominium, quod quis habet in servos, non dei illi jus directum, & immediatum in ordine ad supernaturalia, dat tamèn indirectum, & mediatum; quia dat jus ad separationem filiorum a parentibus, qua posita separatione, nihil obstat, quominùs possint baptizari pueri.

Si dicas, jus paternum esse naturale, consequentèr parentes non posse eo privari per jus Gentium. R. Dici naturale, non hoc sensu, quòd quasi jus naturale obliget, sed quia originem habet a natura, sicùt libertas dicitur naturalis. Undè, sicùt jure Gentium possunt libertate privari, ità & jure paterno. Vel si vis, remanet jus paternum radicale, & remotum, fundatum in processione filii a patre, sed privatum jure proximo, & expedito. Hoc ipso autèm quo filii mancipiorum possunt baptizari, sequitur, quòd domini per se teneantur curare, ut baptizentur, & christianè educentur, quia succedunt in curam parentum: nisi ex Baptismo, & eorum retentione sequerentur graviora incommoda, sicùt reverà sequerentur, si v. gr. vellent pueros bello captos baptizari, & non redimi; indè enim fieret, quòd pueri fidelium ab infidelibus capti etiam non permitterentur redimi. An autèm, si sequatur tantùm grave incommodum temporale, teneantur? Dubium est. Quidam affirmant; quia bonum spirituale infantis est præferendum bono temporali domini, & ad id tenerentur parentes, in quorum obligationem domini succedunt. Negant alii; quia parvuli non sunt in extrema necessitate, ideòque non est illis necessariò succurrendum cum gravi incommodo; neque domini succedunt in jus paternum cum tàm stricta obligatione.

Solvuntur objectiones contra 1. Conclusionem.

OBJ. 1. cum Francisco Henno. Parentes nullum habent jus impediendi, quominùs procuretur Baptismus eorum parvulis: ergo potest Princeps illis invitis Baptismum parvulis procurare. R. N. Conseq. Quia, quamvis parentes non habeant jus impediendi Baptismum suorum filiorum, habent tamèn jus, ne auferantur ab eis, quod fieri deberet, si baptizarentur; & sic privarentur jure suo.

Inst. 1. Hoc jure suo abutuntur parentes, nolentes filios suos baptizari: ergo possunt illo privari. R. 1. Hoc argumento probari, etiam adultos invitos posse baptizari; nam & ipsi abutuntur jure suo, & peccant contra jus divinum nolentes baptizari. 2. D. Ant. Abutuntur jure suo contra legem humanam, vel naturalem, N. Contra legem supernaturalem, & divinam, C. & N. Conseq: Quia nemo potest per potestatem humanam privari jure suo, nisi eo abutatur contra legem aliquam, ad quam servandam cogi potest ab ista potestate: non potest autèm infidelis per potestatem humanam cogi ad servandam legem divinam Baptismi pro se, ità nec pro filiis.

Inst. 2. Princeps est Minister Dei: ergo debet curare, ut serventur Dei mandata. R. D. Ant. Princeps est Minister Dei ad procurandam observantiam præceptorum naturalium, & humanorum, C. præceptorum supernaturalium, Subdistinguo: Eo modo, quo Deu vult ea observari, Transeat; alio modo, N. Vult autèm Deus, legem Baptismi observari, non derogando juri naturali parentum in filios, ut probatum est.

Inst. 3. Supposita sufficienti prædicatione fidei, ut supponi debet apùd Principes Christianos, parentes tenentur ex præcepto naturali prolibus suis procurare Baptismum: ergo, ubi præceptum istud violant, Principis est illorum defectui supplere. R. D. Ant. Supposita sufficienti Evangelii prædicatione, parentes tenentur ex præcepto naturali mediatè, & indirectè prolibus suis procurare Baptismum, C. immediatè, & indirectè, N. In tantùm enim lege naturali tenentur parentes procurare suis parvulis Baptismum posita sufficienti promulgatione fidei, in quantùm lex naturalis dictat, esse obediendum præceptis suorum superiorum. Hoc autem modo non dicimur propriè obligari jure naturali, sicùt non dicimur obligari jure naturali ad audiendam Missam, ad servandam Quadragesimam, &c. & hujusmodi legis naturalis transgressio non sufficit, ut Princeps possit parentes repugnantes jure suo privare: alioquin posset paritèr cogere adultos ad suscipiendum Baptismum, quia & ipsi simili modo peccant contra legem naturalem nolentes baptizari. Immò ex eadem ratione posset Princeps Sæcularis se immiscere omnibus spiritualibus, & supernaturalibus. Adde, sic Deum instituisse legem Baptismi, ut noluerit transgredientes, sive pro se, sive pro filiis, ad eam cogi derogando juri naturali, ut probatum est.

Inst. 4. Potestas defendendi innocentes jure naturæ competit omnibus; atqui infantes sunt innocentes, & maximam patiuntur injuriam ex mala voluntate parentum: ergo. R. D. Maj. Potestas defendendi innocentes jure naturæ competit omnibus, eo modo quo Deus instituit, C. alio modo, N. Deus autùm non instituit legem Baptismi, ut possit conferri pueris innocentibus, violato jure naturali.

Inst. 5. Si parentes vellent occidere infantes; aut docerent eos furari, blasphemare, &c. possent ab eis justè eripi, non obstante jure, quod habent in illos: ergo a fortiori, si nolint ipsos baptizari. R. N. Conseq. Quia, quæ referuntur in Antecedente, sunt directè contra jus naturæ, & bonum commune, cujus conservatio directè spectat Principem civilem. At resistentia parentum respectu Baptismi suorum parvolorum est directè, & immediatè contra jus supernaturale; cujus conservatio non spectat Principem sæcularem, nisi in quantùm placuit ejus Auctori: non autèm ipsi placuit, ut servaretur cum injuria alterius juris.

Inst. 6. Aug. Ep. 48. nunc. 93. laudat Leges ab Imperatoribus latas adversùs Sacrificia Paganorum: ergo a fortiori laudaret Principes, qui impedirent subditos, ne proles suas dæmonio sacrificent. R. N. Conseq. Aliud quippè est impedire exercitium publicum Idolatriæ, aliud vi ad Christianam Religionem compellere. Primum potest Princeps; quia indè possunt mores subditorum corrumpi, & tranquillitas publica turbari. Secundum non potest; quia sic Deus non instituit legem supernaturalem Baptismi, ut violato jure naturali conferretur, & vi homines ad Religionem traherentur. Quòd si Infideles sint suis subditis Christianis scandalo, potest eos ex sua ditione expellere, aut eos loco separato concludere.

Inst. 7. Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus; atqui Deus præcipit omnes baptizari: ergo. R. D. Min. Deus præcipit omnes baptizari, salvo jure parentum, C. secùs, N.

Inst. 8. Christus Lucæ 14. dicit servo: *Compelle intrare, ut impleatur domus mea*: ergo. R. indè probari Infideles adultos posse vi compelli ad Baptismum, quod non admittitur; imò impios, & in sceleribus obstinatos ad Cœlum violentèr perduci, quod insulsum est. (*Q. 22. de verit. art. 9.*) Igitur sensus est, gentes compelli ad fidem, non per minas, tormenta, & armorum violentiam, sed per rationis vim, & persuasionis efficaciam, sic ut personante Evangelii tuba, & operante gratia, fiant ex nolentibus volentes.

Obj. 2. Plures religiosissimi Principes vi compulerunt Infideles ad Baptismum. 1. Sisebutus Hispaniarum Rex, teste Baronio ad ann 614. Judæos ad Baptismum coëgit; & in Conc. Tolet. 4. non solùm non improbatus, sed laudatus fuit Can. 57. fuitque ibidèm præceptum, ut Judæi, *Qui Fidem Christianam vi, vel necessitate susceperant, tenere cogantur.* 2. Lege 3. Visigothorum l. 12. tit. 3. Judæi sub pœna exilii compelluntur offerre filios suos ad Baptismum. 3. Carolus Magnus, juxta Annales Francorum apùd Duchesne, Saxones coëgit ad Baptismum, & in hoc laudatur ab Adriano I. 4. Chilpericus teste Greg. Turon. l. 6. Hist. Franc. c. 17. multos Judæos baptizari jussit. 5. Dagobertus, referente Auctore vitæ S. Amandi Trajectensis Episcopi, huic dedit litteras, ut infideles Gendavenses compelleret ad Baptismum. 6. S. Franciscus Xaverius in Epist. ad Franciscum Henricum dicit: *Plus proficis, quàm tu putas, infantes diligentissimè conquisitos per Baptismum Cœlo pariendo.* 7. 1. Machab. 2. de Mathatia, & Seciis dicitur: *Circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israël, & in fortitudine.* 8. Tandèm: in lege naturæ poterat quilibet Fidelis offerre infantem alienum applicando illi remedium peccati originalis: ergo similitèr.

R. 1. Hæc facta pro majori parte non tangere nostram conclusionem; sunt enim de Infidelibus adultis, nostra autèm conclusio de pueris Infidelium nondùm adultis. Et, quamvis licitum esset metu pœnarum Infideles adultos ad Baptismum attrahere, non ideò licitum esset infantes a parentibus abstrahere. At neutrum unquàm probavit Ecclesia. Undè R. 2. ad singula. Ad 1. factum Sisebuti improbavit Ecclesia Hispana in Conc. Tolet. nàm Can. laud. in obj. sic decernit: *De Judæis præcipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre.* Laudatos autèm fuit Sisebutus non propter hoc factum, sed propter zelum Religionis, & alia statuta adversùs Judæos, scilicèt, ne Christianum mancipium circumciderent, ne Christianus exerceret ritus Judaicos, &c. Jure autèm Judæi pœnarum metu baptizati coguntur servare Christianæ Religionis ritus; quia, licèt nemo invitus, & animo reluctans validè baptizetur, si tamèn metu adductus reverà velit suscipere Baptismum, suscipit; quæ enim fiunt ex metu, sunt simpliciter vo-

voluntaria. Et aliundè Ecclesia, quæ non judicat de internis, præsumit, quòd, qui exteriùs Baptismum suscipit, reipsa intenderit suscipere. Ad 2. Lege Visigothorum sancitum est, ut qui baptizari potiùs, quam exulare, elegerant, & promiserant, flagellis essent puniendi, si promissioni spontè factæ non starent. Ad 3. Carolus Magnus non vi compulit Saxones ad Baptismum, sed illos instrui, & suasionibus ac hortationibus ad Baptismum perduci curavit, quem illi spontè susceperunt. Undè Alcuinus Ep. 1. dicit *Carolum Magnum sua sollicitudine, devotione, ac benignitate, per veræ salutis consilium, per optimam voluntatem, Saxones convertisse.* At verò post iteratas Saxonum rebelliones, & a fide defectiones, ipsos coëgit stare & promissis, & Religioni spontè susceptæ. Ad 4. ipse Greg. Turon. referens factum Chilperici ipsum improbat. Ad 5. S. Amandus non usus est potestate, sibi a Dagoberto tradita, sed verbum Dei apùd Gandavenses prædicavit, & quos e captivitate redimebat, baptizabat, ut dicit Auctor ejus vitæ apùd Surium 6. Februarii. Vide etiam Acta Sanctorum ad eumdem diem. Ad 6. S. Franciscus Xaverius loquitur de infantibus morti proximis, & a parentibus derelictis; addit enim: *At memento, te octo mensibus, quibus isthic versaris, plures animas conservasse moribundis infantibus baptizandis.* Ad 7. 1. Multi interpretantur de pueris Judæorum, qui metu mortis a gentibus incusso non ausi fuerant circumcidere suos filios: undè ibi additur, *& obtinuerunt legem de manibus Gentium*, id est, excusso Gentium jugo recuperaverunt observantiam legis. 2. Estò intelligendum sit de pueris Gentium, Judæi poterant illos circumcidere, nimirùm captivos factos jure belli. Constat autèm ex probationibus conclusionis, non licitum fuisse circumcidere alienigenas invitos, aut eorum filios, nisi vernaculos, & emptitios. Ad 8. Sylvius negat Ant. Tùnc enim sicùt nùnc servandum erat jus paternum; nec puer, educandus in infidelitate, poterat tùnc magis quàm nùnc exponi periculo apostasiæ. Soto concedit Ant. & negat Conseq. 1. tùnc non imprimebatur character. 2. quia fidelis poterat ratione naturali convincere patrem, bonum esse filium Deo commendare. 3. quia tùnc homines non erant coadunati in aliquam singularem Religionem per exteriorem cultum, sic ut parentes possent conqueri de subtractione suorum filiorum. Insupèr admittit Soto, quòd illa oblatio fieri posset per actum interiorem, nesciente patre: quod nos negavimus de Sacramentis in genere. Prima solutio magis arridet.

Observandum hìc pro complemento, quòd, si contingit filios infidelium invitis parentibus baptizari, debeant ab illis separari propèr periculum apostasiæ. Ità decernitur in Jure Cap. *Judæorum* 11. causa 28. q. 1. ex Conc. Tolet. 4. Neque obstat hìc jus paternum; quia prævalet jus, quod Ecclesia per Baptismum acquisivit, cùm cedat in utilitatem pueri, & in honorem Dei, Religionis, & Sacramenti, quæ per apostasiam moralitèr certò futuram pueri gravi injuria afficerentur. Idem censeo, si uterque parens sit infidelis, & ex unius consensu puer sit baptizatus; quia verisimile est, quòd puer adultus sequetur Religionem parentum.

ARTICULUS V.

De Adultis baptizandis, per Quæstiunculas.

PEtes 1. (*Hic art. 4. o.*) Utrùm peccatores sint baptizandi? R. peccatores, quos peccatorum præteritorum pœniteat, sunt baptizandi; quia Sacramentum Baptismi est institutum, ut per ipsum peccatorum sordes mundentur, juxta illud Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Peccatores autèm, qui perseverant in voluntate peccandi, non sunt baptizandi; quia in eo statu mundari non possunt a peccato, ad quod Baptismus ordinatur.

Petes 2. Quæ dispositiones requirantur in adultis ad susceptionem tùm validam, cùm licitam Baptismi? R. 1. Ad validam susceptionem Baptismi non requiritur in adulto neque fides, neque pœnitentia; sed requiritur, & sufficit intentio illum suscipiendi, quæ aliquando fuit, & moralitèr perseverat. (*Ib. art. 8. o.*) Ratio primæ, & secundæ partis; quia Sacramentum non perficitur per Justitiam hominis dantis, vel suscipientis, sed per virtutem Dei. Undè Aug. libr. 3. de Bapt. c. 14. relatus Cap. *Sicùt in Sacramentis* de Consecr. d. 4. *Non interest*, inquit, *cùm de Sacramenti integritate, & sanctitate tractatur, quid credat, & qualifide sit imbutus ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidèm plurimùm ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest.* Idem ibid. Cap. *Si qui* & Cap. *Quamvis.* Hæc amplùs patent ex dictis in Tract. præced. Diss. 5. art. 3. & Diss. 2. hujus Tract. art. 1. §. 2. ubi probavimus, Baptismum collatum, & susceptum in hæresi esse validum. Confer.

Neque (*Ibid. ad 2.*) obstat, intentionem in suscipienti requiri ad valorem Sacramenti, ut dicitur in secunda parte respensionis, quæ intentio non videtur esse posse sine recta fide: non obstat, inquam, quia non habens rectam fidem circa alios articulos potest habere sufficientem fidem circà Baptismum, ut illum intendat. Quòd si circà hoc Sacramentum etiam errer, sufficit ad perceptionem Sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere Baptismum, sicùt Christus instituit, & sicùt Ecclesia confert, ut explicuimus, dùm de intentione Ministri in Tract. de Sacram. in genere Diss. 5. art. 6. Secunda pars responsionis etiam probata manet ex Diss. 6. præced. Tract. art. 1. ubi abundè diximus de intentione requisita in suscipiente ad integritatem Sacramenti. Require ibi.

R. 2. Ad licitam, & fructuosam susceptionem Sacramenti, ultrà intentionem, & rectam fidem, requiritur in adulto attritio. Hanc responsionem probatam habes Diss. 3. præced. Tract. art. 4. §. 2. vide. Qualis autèm debeat esse ista attritio, & àn ad eam requiratur necessariò aliquis Dei amor, dicemus, dùm de Sacramento Pœnitentiæ.

Petes 3. Utrùm peccatores accedentes ad Baptismum debeant præmittere confessionem sacramentalem? R. negativè: (*Ibid. art. 6 o.*) Quia confessio sacramentalis ordinatur ad absolutionem, qua non indigent, qui baptizantur, cùm per Baptismum omnia peccata illis remittantur, ut dicemus Diss. seq. 2. Quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum, Ecclesia non habet jurisdictionem in non baptizatum, ut possit in eum exercere judicium, & ferre sententiam. Neque obstat Tert. l. de Bapt. c. 20. Gregor. Nazianz. Orat. 40. meminisse aliquorum, qui præmitterent confessionem Baptismo; hæc enim confessio non erat sacramentalis, sed quædam humilatio ad directionem in vita spirituali.

Petes 4. Utrùm peccatoribus baptizatis sint imponenda opera pœnalia? R. negativè: (*Ibid. art. 5. o.*) 1. Quia, qui baptizantur, incorporantur, & commoriuntur Christo, non solùm quatenùs virtus passionis, & mortis Christi operatur in Baptismo, nàm & in aliis Sacramentis operatur; sed quatenùs perfectè configurantur Christo morienti, dùm, abjecto veteri homine, regenerantur ad novam vitam, & accipiunt novum esse spirituale, juxta illud Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum.* Ità ut ipsa pœna Christi fuerit satisfactoria pro peccatis baptizatorum, sicùt pœna unius membri potest esse satisfactoria pro peccato alterius membri; vel ut dicit idem S. Thom. q. seq. art. 2. sic, ut applicetur baptizatis passio Christi in remedium, ac si ipsi passi, & mortui essent. In quo Art. 2. & præced. probat, omnia peccata quoad culpam, & totam pœnam remitti per Baptismum; quod est altera probatio hujus, & præcedentis resp.

An autèm antè Baptismum imponenda sint baptizandis opera pœnalia? R. esse imponenda, non ad satisfactionem, sed ut per emendationem vitiorum, & debitam morum correctionem, ac religiosa pietatis exercitia, se præparent ad Baptismum. Et in hunc finem ordinabantur laboriosa Catechumenatûs opera.

Petes 5. Utrùm furiosi, & amentes sint baptizandi? R. (*Ib. art. 12. o.*) Furiosi, & amentes a nativitate sine ullo lucido intervallo sunt baptizandi, non secùs ac infantes. Qui autèm habent lucida intervalla, si aliquando habuerint voluntatem Baptismi, quam non retractaverint, necessitate urgente sunt baptizandi in ipsa amentia. Constat ex dictis de Sacram. in genere, Diss. 6. art. 1.

Petes 6. Utrùm, qui morte præoccupati non potuerunt baptizari, sint baptizandi mortui, aut vivi pro mortuis? R. negativè contrà Cerinthianos, Marcionistas, & Cataphryges, qui ex præposterâ intelligentia horum verborum Apostoli 1. Cor. 15. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* docuerunt, aut mortuos sine Baptismo esse baptizandos, aut vivos pro ipsis. Hunc errorem proscripsit Conc. Carthag. III. Can. 6. *Cavendum est*, inquit, *ne, mortuos posse baptizari, fratrum infirmitas credat.* Ratio est evidens; quia ex una parte cadaver est incapax regenerationis spiritualis, & homo mortuus extrà statum viæ incapax omnis Sacramenti. Ex alia parte Baptismus non prodest nisi suscipienti, & defuncto sine Baptismo, & extrà Ecclesiam non posunt suffragia vivorum. Quantùm ad textum Apostoli, variæ sunt interpretationes, quas refert Estius in hunc locum. Duas propono ut probabiliores, observato priùs quòd Apostolus in hoc capite intendat probare Resurrectionem mortuorum. Dicendum itaquè, quòd Apostolus per tò *mortuis* intelligat corpora morti abnoxia: ità ut sensus sit, si non sit futura resurrectio, cur corpora moritura, & numquàm resurrectura baptizantur? Vel per tò *baptizantur*, intelligit affliguntur, quo sensu dixit Christus Marci 10. *Potestis... Baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Et Lucæ 12. *Baptismo autem habeo baptizari.* Ità ut sensus sit, ut quid affliguntur, pœnitentiæ operibus cruciantur, orationes fundunt, sacrificia offerunt vi-

vivi pro mortuis, si mortui non resurgunt, nec istis juvantur?

Petes 7. Quid censendum de Baptismo Campanarum? Hunc ritum Ecclesiasticum reprehendunt Hæretici tanquàm superstitiosum; exprobrantque nobis, quòd res inanimatas Baptismi incapaces baptizemus non secùs ac homines, risuque dignum huic Baptismo adhiberi omnia, quæ baptizandis hominibus adhibentur, unctionem, lavacrum, nominis impositionem, & Patrinos. R. 1. usum Campanarum esse in Ecclesia perantiquum: earum meminit Ordo Romanus Tit. de Sabbatho sancto, & venerab. Beda initio sæculi 7. libr. 4. Hist. Anglorum c. 23. Communior opinio fert, eas primùm usurpatas fuisse ineunte sæculo 5. a S. Paulino Nolano Episcopo, ac propterea a Nola urbe Campaniæ fuisse dictas *Campanas*, & *Nolas*. 2. Benedictionis Campanarum non fuit Auctor Joannes XIII. circà ann. 970. ut volunt Heterodoxi; hoc Pontifice antiquiorem probant antiqua Ritualia, de quibus Martenius libr. 2. de antiq. Eccl. Ritibus c. 21. & alii. Sed etsi iste ritus esset a Joanne XIII. nihil evincerent Hæretici, cùm sit in Ecclesia potestas novos ritus instituendi. 3. Non baptizamus Campanas quasi spiritualis regenerationis per gratiam capaces, sed benedicimus, ut juxta verba Pontificalis Rom. & Conc. Colon. c. 14. apùd Labb. Tom. 14. col. 549. voce quadam sacrata nos convocent ad Ecclesiam, ad verbum Dei, & ad Sacrificium, & vi benedictionis procùl pellantur omnes insidiæ inimici, & coërceantur tonitrua, grandines, procellæ, & tempestates. 4. Ad 1. quod opponunt Hæretici, reponimus, benedictionem Campanarum dici *Baptismum* in lata significatione, proùt idem est ac ablutio, & deputatio ad usum Ecclesiæ sacrum. Ad 2. adhibetur unctio, quia consecrantur Domino; sicùt lapis, quem Jacob erexit in titulum, infundens oleum desuper. Lavantur, & linteo exterguntur in sacri Olei venerationem: imponitur nomen, ut quasi voce alicujus Sancti plebs Christiana vocetur ad Ecclesiam. Non ubiquè adhibentur Patrini, nec id præscribitur in Pontificiali Rom. Sed ubi mos est, adhibentur, ut præsint custodibus Campanarum, & curent eas pulsari juxta Ecclesiæ consuetudinem, eo modo, & ad eos fines, ad quos sunt deputatæ.

ARTICULUS VI.

Utrùm tàm pueris, quàm adultis, Baptismus sit differendus?

DIco 1. (*Ib. art.* 3. *o.*) Infantes sunt quàm primùm baptizandi. Est (*Ib.*) communis, & sequitur ex dictis art. 1. & 2. hujus Diss. Si enim, ut illic probavimus, Baptismus in re sit parvulis necessarius necessitate medii, & ipsi sint Baptismi capaces, manifestum est, esse quàm primùm baptizandos proptèr mortis pericula, quæ in hac teneriori ætate sunt frequentia, & subitanea. Aliundè non expectatur in ipsis sicùt in adultis, major instructio, aut plenior conversio, ideòque dilatio foret superflua.

Parentes igitùr, aut ii, quibus incumbit cura parvulorum, gravitèr peccant contra charitatem, & pietatem, imò & contra præceptum Ecclesiasticum, quòd ex ejus praxi colligimus, si diù absque gravi causa differant illos Baptismo offerre; & in hoc negligentes tenentur ex officio Pastores compellere.

Quanta verò debeat esse dilatio, ut sit peccatum mort. Id videtur judicio prudentum æstimandum ex circumstantiis, seu ex qualitate periculi, & causæ gravitate. Censet Sylvius, dilationem ad 3. vel 4. dies, secluso morali periculo mortis, non esse mortalem. Soto, & quidam alii extendunt ad sex, vel septem dies. Ulteriùs autèm differre proptèr susceptorum moram non putat licere idem Sylvius, citatis pluribus Synodis.

Dices. 1. S. Thom. in 4. d. 4 q 3. art. 1. q. 1. dicit tantùm, quòd *magis laudabile sit, quòd pueri, quàm citiùs poterunt, baptizentur*: quæ verba non indicant obligationem sub peccato sed consilium dumtaxat, ut quid melius: ergo. Ità Serra. R. S. Thomam hos terminos *magis laudabile* adhibuisse, ut responderet argumento iisdem terminis, quibus constabat; erat autèm sic: *Videtur, quòd melius sit Baptismum differri*; non autèm ut excluderet obligationem: alioquin dicendum foret, juxta S. Thom. non esse præceptum, sed consilium tantùm baptizandi pueros antè trigesimum ætatis annum, exemplo Christi; de ista enim dilatione procedebat argumentum. Insupèr obligationem importat, & exprimit prima ejus ratio ibid. *Quia*, inquit, *proptèr imbecillitatem naturæ de facili possunt mori, & damnari. Undè, ut damnationis periculum vitetur, debent Baptismo præveniri.* Audis, *debent*, quod non consilium tantùm, sed obligationem importat. Et hic ex eadem ratione absolutè concludit: Pueris *non est differendum Baptisma.*

Dices 2. Circumcisio non conferebatur nisi 8. die: ergo similiter Baptismus. R. N. Cons. Disparitas est, quòd circumcisio ante 8. diem potuisset adferre mortem infanti, & aliundè in periculo poterat loco circumcisionis illi subveniri per remedium legis naturæ. Nunc autèm non potest subveniri infanti nisi per Baptismum re susceptum; nec timendum est, ne parum aquæ illi noceat.

Oppones iterùm Tertull. & Greg. Naz. quorum primus existimavit, Baptismum esse differendum usquè ad adultam ætatem, alter ad 3. annum. Sed jam respondimus art. 2. hujus Diss. has opiniones aliis Patribus displicuisse, & ab Ecclesia non fuisse probatas. Vide ibid. alia argumenta.

Dico. 2. Jure divino non est determinatum tempus, excepto mortis periculo, ultrà quod si adultus differat Baptismum, peccet mortalitèr. Tenetur tamèn sub mortali peccato non differre diù, nisi ex gravi causa. Jure autèm Ecclesiastico peccat gravitèr, si ultrà tempus ab Ecclesia institutum differat. Prima pars videtur in terminis contraria sententiæ plurium Recentiorum, sed non puto re differre, ut patebit ex dicendis. Cæterùm illam expressè, & asserit, & probat auctor cit. in marg. (*In* 4. *d.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 4.) *Ad Baptismum percipiendum*, inquit, *non tenetur aliquis statim, postquam habet propositum Baptismi, ità quòd peccet mortalitèr, nisi statim baptizetur. Nec est aliquod tempus determinatum, ultrà quod, si Baptismum differat, peccatum mortale incurrat.... Sed quia, quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in via implere; ideò si periculum mortis imminеat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc, vel Baptismum suscipiendum.*

Insupèr quodnam tempus assignari potest Jure divino determinandum? Respondent: Primo opportunitas, qua quis commodè potest suscipere Baptismum. Sed & hoc in terminis impugnat S. Thom. ibid. *Præcepta affirmativa*, inquit, *non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum, non quidèm ex hoc quòd tunc commodè implerì possunt; quia sic, si non daret aliquis eleemosynam de superfluo quandocumquè pauper offerretur, peccaret mortalitèr, quod falsum est; sed ex hoc quòd tempus urgentem necessitatem adducit.* Præceptum autèm de Baptismo suscipiendo est affirmativum, nec tempus urgentem necessitatem illam statim suscipiendi adfert, sed tantùm non differendi diù, ut dicit 2. pars Conclusionis.

Respondent, esse specialem rationem de hoc præcepto affirmativo; quia Baptismus est necessarius, ut quis fiat membrum Ecclesiæ, & capax aliorum Sacramentorum. Verum ista probant, quod dicit 2. pars Conclusionis, Baptismum scilicèt non esse diù differendum, non tamèn statim sub peccato mortali suscipiendum. Ecquis enim dicat, hominem, qui jam fide tenet Deum, & ipsi fortè charitate conjungitur, peccare mortalitèr, si ad breve tempus differat fieri membrum exterius Ecclesiæ, & aliis Sacramentis participare? Neque puto, Recentiores alitèr sentire: dicunt enim *statim moralitèr*, & in eo *statim moralitèr* magnam admittunt latitudinem, etiam decem mensium; quod re convenit nobiscum, ut patebit modò.

Si tamèn iterùm urgeas, quòd homo sufficientèr instructus teneatur statim credere: ergo & statim profiteri fidem: consequentèr statim suscipere Baptismum, qui est Sacramentum fidei. R. hoc argumento probari, neque Ecclesiam potuisse determinare tempora Baptismi, quia nec tandiù licet differre fidem interiorem. Dicendum itaquè, non ese tàm urgentem necessitatem profitendi statim fidem exteriùs per Baptismum, quàm illam corde suscipiendi, maximè cùm Catechumenus etiam illam exteriùs profiteatur per opera Catechumenatûs.

Prob. 2. pars. Baptismus est a Deo institutus, & præceptus, ut per eum homo non solùm remissionem peccatorum consequeretur, sed etiam ut aliquo signo visibili profiteatur Fidem, & Religionem Christianam, fiat membrum Ecclesiæ, & capax aliorum Sacramentorum; atqui est contra propriam charitatem, qua tenetur homo suæ saluti consulere, tam magna bona diù respuere, & expectare tempus, in quo incertum est, àn illa consequeretur: ergo. Undè Chrysostomus hom. 1. in Act. Apost. circà finem: *Nec tempus expectemus*, inquit, *ne quandò fiat, ut, dùm cunctamur, & procrastinamur, discedamus hinc inanes, & vacui.* Et Hom. 13. in Ep. ad Hebr. *Multos novi*, inquit, *qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant: circa diem autem mortis discesserunt vacui.* Hinc etiam amaræ declamationes SS. Patrum, Basilii, Greg. Naz. & aliorum in eos, qui Baptismum diù differebant.

Expedit tamèn (*Hic art.* 3. *o.*) differre ad aliquod certum tempus, proptèr tria. 1. ad cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur, Sacramentum fictè accedentibus conferens. 2. propèr utilitatem baptizandorum, qui aliquo temporis spatio indigent ad hoc, quòd plenè instruantur de fide, & exercitentur in his, quæ pertinent ad vitam Christianam. 3. proptèr reverentiam Sacramenti: qua de causa olim conferebatur in præcipuis solemnitatibus Paschæ, & Pentecostes.

Tertia pars est in terminis (*Ibid.*) S. Thom. cit. in fine articuli: & patet, quia est transgredi Legem Ecclesiæ in re gravi.

Duo autèm tempora, ut jam dixi, Ecclesia designavit baptizandis adultis, scilicèt, festum Paschæ, & Pentecostes, cap. *Duo*

Duo tempora 19. de consecr. d. 4. ex S. Leone: cap. *Si quis autèm*, 14. ibid. ex eod. & cap. *De Catechumenis* 15. ibid. ex Conc. Gerundiensi. Excipiuntur tamèn ibid. cap. *Catechumenis*, & cap. *Si quis*, ii, qui de necessitate mortis, ægritudinis, persecutionis, & naufragii urgentur, qui quovis tempore poterant baptizari.

S. Thom. & post ipsum Soto censent, etiam exceptos fuisse, & potuisse quovis tempore baptizari, qui erant perfectè instructi, & dispositi: sicùt, inquit Auctor, Philipus statim baptizavit Eunuchum Candacis Reginæ, Petrus Cornelium, & tria millia hominum. Quapropter existimat Soto, hæc tempora non fuisse sic instituta, ut aliis anni temporibus a Baptismo esset omninò supersedendum, sed tùm ne ultrà differretur, tùm ut, aliquibus in hæc tempora reservatis, solemniùs Baptismus conferretur cum Latiniis, & aliis solemnibus cæremoniis. Quod si aliquandò legatur prohibitum, ne aliis anni temporibus fiat Baptisma, id solùm dirigitur, inquit, in eos, qui contendebant in festis Nativitatis, & Epiphaniæ eamdem Baptismi solemnitatem esse adhibendam, quæ in Paschate, & Pentecoste. Verùm, quidquid sit de ista observatione, & quamvis nùnc propter paucitatem adultorum baptizandorum hæc tempora pro solemni Baptismo non sint ampliùs in usu; non videtur tamèn extinctum Ecclesiæ præceptum, ne ultra id, vel æquale tempus differatur. Quapropter, sive vi præcepti Ecclesiastici, sive vi Juris divini, aut naturalis, quo quisque suæ saluti providere tenetur, non videtur excusandus a gravi peccato, qui sine legitima causa suum Baptismum differret ultra 10. menses, quod est tempus ab Ecclesia statutum, & videtur satis longum. Eo autèm gravior debet esse causa dilationis, quo major est dilatio.

Sed difficultas est, quomodò Ecclesia possit suo præcepto adstringere Infideles, qui nondùm ipsi subjiciuntur; cùm juxta Apost. 1. Cor. 5. de his, qui foris sunt, nihil ad nos. R. id posse duplici modo. 1. indirectè. Pro quo observandum est, præceptum Baptismi non esse ejusdem rationis cum aliis præceptis, v. gr. Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; hæc enim quatenùs divina non spectant nisi Fideles: undè Ecclesia determinando illorum tempus, non potuit obligare nisi Fideles. Sed præceptum divinum Baptismi obligat omnes omninò homines: undè Ecclesia determinans per clavem scientiæ, quam habet a Christo Domino, tempus obligationis Baptismi, obligat omnes. Sicùt enim potuit præscribere Fidelibus tempus Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia ad illa Jure divino tenentur; ità potuit præscribere omnibus tempus Baptismi, quia omnes ad illum Jure divino paritèr tenentur.

Alio modo (*In* 4. *d.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 1.) potest Ecclesia præscribere directè tempus Baptismi Infidelibus, quatenùs petendo Baptismum se subjiciunt Ecclesiæ. Undè, sicùt Ecclesia habet potestatem illis præcipiendi varias Baptismi cæremonias, ita & ejus tempus præscribere: non secùs Judex arbiter habet potestatem exercendi judicium in eos, qui se illi subjecerunt, & eis præcipiendi, quæ sunt ad sententiam necessaria. Verùm, sicùt si litigantes revocent Judicem arbitrum, ipse non potest illos punire, nec cogere, ut pareant sententiæ, quam tulit; ita nec Ecclesia potest punire Cathecumenum, nec cogere ad Baptismum; quia hoc ipso quo recedit a fide, desinit petere Baptismum, & subjici Ecclesiæ.

Dices: Baptismus tollit peccata præterita, & non futura. Undè, quantò magis Baptismus differtur, tantò plura peccata tollit: ergo præstat diù differre. R. (*Hic art.* 3. *ad* 3.) Quòd Baptismus per gratiam, quam confert, non solùm tollit peccata præterita, sed etiam impedit futura, ne fiant. Melius est autèm, vel unum peccatum non committi, quàm millia dimitti. Quantùm ad S. Ambrosium, S. Martinum, Constantinum Magnum, & alios viros insignes, qui leguntur diù distulisse suum baptisma, jam diximus eos non sine causa distulisse, aut in hoc non esse excusandos. De Baptismo Constantini dicemus in Digress. Historica.

Petes, quæ fuerint causæ, cur olim tot differrent suum Baptisma? R. plures fuisse. Quidam in animo habebant melius esse Baptismum differre, quàm a gratia per ipsum collata excidere; & ideò ad eam ætatem differebant, in qua minùs effervescerent passiones, & minor esset propensio ad peccatum. Quidam differebant, ne per Baptismum arctiori vivendi genere adstringerentur. Quidam, ut sine laboriosis pœnitentiæ operibus a peccatis omnibus, & peccatorum pœnis per Baptismum in fine vitæ susceptum abluerentur. Quidam e contra ex humilitate, & ut maturiùs per diuturniora pietatis exercitia se ad illum disponerent. Potuerunt esse aliæ particularibus propriæ: sic Constantinus dicebat, se Baptismum distulisse, quia optaverat baptizari in Jordane. Sed communior fuit, tàm pro infantibus, quàm pro adultis, relaxatio disciplinæ, Episcopis in exilium pulsis; ipsaque baptizandorum negligentia, ac salutis incuria.

DIGRESSIO PRIMA HISTORICA

De veteri Catechumenatu.

Ad art. 6. præcedentis dissert.

CAtechumenus est vox græca, idem significans, ac latinè instructus viva voce in Catechismis: quia, qui aspirabant ad Baptismum, instruebantur, & catechizabantur. Hic ritus ortum habet a Christo, qui jussit gentes doceri, antequàm baptizarentur. Infantes hodiè quamvis non catechizentur, dicuntur tamèn Catechumeni, quia plures alii ritus Catechumenatûs erga illos observantur, signum crucis, exorcismus, insufflatio, inunctio, nominis impositio, &c.

Varii Gradus, seu Ordines Catechumenatûs.

TRes communitèr numerantur, sed non uno modo explicantur. Quidam numerant *Audientes*, *Genuflectentes*, & *Competentes*, seu *Electos*; utrosque enim in eodem gradu collocant. Alii numerant *Audientes*, *Competentes*, & *Electos*; neque putant genuflectentes constituisse specialem classem, sed eos esse, qui currente Catechumenatu lapsi, si in ordine Competentium essent, rejiciebantur ad Audientiam, si in ordine Audientium, expellebantur ab Audientia. Sic Catechumenatûs ordines disposuisse videtur Isidorus l. 8. Orig. c. 4. immediatè post Audientes constituens Competentes: *Competens*, inquit, *vocatur, qui post instructionem fidei competit gratiam Christi; indè a petendo competens vocatur* Idque magis consonum videtur explicationi Catechumenatûs. Igitùr juxta hanc dispositionem

AUDIENTES erant, qui se offerentes ad Baptismum recipiebantur ab Episcopis inter Catechumenos, facto illis signo crucis in fronte, & in pluribus aliis partibus corporis, cum manuum impositione, precibus, insufflationibus, degustatione salis, & exorcismi. Ex Sacrament. S. Greg. Tit. *Ad Catechumenum ex Pagano faciendum.* Hoc ritu inaugurati admittebantur ad audiendum verbum Dei in ea parte Ecclesiæ, quæ hodiè *Navis* dicitur, & indè dictum *Auditorum*, & ipsi *Audientes*. Instruebantur insupèr privatim, sive ab Episcopis, sive a Sacerdotibus, sive a Diaconis; quandoquè a Magistris deputatis in Civitatibus, qualis erat Origenes Alexandriæ. Non docebantur profundiora Religionis mysteria, sed ea tantùm, quæ communitèr fidem, & mores spectant. Postquàm instructionem in Ecclesia audierant, dimittebantur ante Offertorium: quidam dicunt, cum Ethnicis absque solemni Edicto; quidam dicunt, cum *Competentibus*, Diacono ex umbone solemnitèr clamante, *Catechumeni discedite*: & indè dicta Missa Catechumenorum, usquè ad Offertorium exclusivè.

COMPETENTES erant, qui urgente Baptismi desiderio instantèr petebant ad illum admitti; undè *Competentes* a *petendo* dicti, ut jam notavimus ex Isidoro. Petebant autèm Baptismum in terram prostrati, & dantes nomina sua. In hunc ordinem cooptati laboriosis pœnitentiæ operibus excitabantur, ut se præpararent ad Baptismum. Jubebantur abstinere a vino, & carnibus ex Conc. Carthag. 4. Can. 85. assiduis orationibus, genuflexionibus pervigiliis operam dabant cum confessione delictorum, ex Tertull. libr. de Bapt. c. 20. Sed jam dixi, hanc confessionem non fuisse sacramentalem, neque, ut videtur, erat specialis, sed generalis, & fortè indistincta ab ipsis operibus: dicit enim ibid. Tertull. *Nobis esse gratulandum, si non publicè confiteatur iniquitates, aut turpitudines nostras.*

ELECTI dicebantur, qui per Scrutinia reperti digni, recipiebant Symbolum, & admittebantur ad baptismum. Scrutinium autèm erat de vita, & moribus Competentium, quod fiebat coràm multitudine, ut, si quis haberet aliquid opponendum, oponeret. Erant 7. Scrutinia, quæ ab hebdomada tertia Quadragesimæ usquè ad Sabbatum sanctum celebrabantur. Ex Ordine Rom. præcipuum habebatur feria 4. majoris hebdomadæ, quæ propterea dicebatur dies Scrutinii. Competentes igitur, qui his Scrutiniis probati erant digni, accepto Symbolo dicebantur *Electi* ad Baptismum. Symbolum autem tenebantur reddere, id est, memoritèr recitare, alicubi feria 5. majoris hebdomadæ, in Ecclesia verò Romana, & Hispanica Sabbatho sancto, paulò antè Baptismum, in publicam fidei professionem. Accipiebant etiam Orationem Dominicam, quam reddebant die Paschæ, post Eucharistiam. Quo ritu baptizabantur Catechumeni, dixi superiùs.

Si quæras, quanto tempore durabat Catechumenatus? R. variam in hoc fuisse Ecclesiæ disciplinam. Constat exemplo Cornelii, Eunuchi Candacis Reginæ, trium & quinque millium una die baptizatorum, nascente Ecclesia, statim, præmissa fide, collatum fuisse baptismum. Deindè variorum Conciliorum, & Pontificum sanctionibus diversa tempora fuere præscripta: a qui-

quibusdam 8. menses, ab aliis 6. communiùs 40. dies; quod tempus fuit postea contractum ad 18. dies.

DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA

De Baptismo Constantini Imperatoris.

Quandò, & ubi fuit baptizatus Constantinus?

Ad att. ult. Dissert. Præcedentis.

DUplex est circa hoc factum opinio. Prima tenet, Constantinum baptizatum fuisse Romæ a S. Sylvestro ann. 324. ætat. 50. ante mortem 14. Ità Baronius cum multis ejus sequacibus. Altera tenet baptizatum fuisse in suburbio Nicomediæ sub finem vitæ. Ità plerumquè Recentiores, Papebrochius ad diem 21. Maji, Antonius Pagi ad annum 324 Natalis Alex. sæc. 4 Dissert. 23. Benedictini Maurini in notis ad Orat. S. Ambrosii de obitu Theodosii, Tillemontius, Fleury, &c. Utriusque sententiæ momenta proponam.

Momenta Baptismi Constantino collati Romæ a S. Sylvestro.

PRimum momentum petitur ex Actis S. Sylvestri, quæ sic factum narrant. Hæc autèm Acta venerandæ auctoritatis esse in Ecclesia, constat: 1. Quia Adrianus I. in Ep. ad Constantinum, & Irenem ea laudavit ad vindicandum cultum SS. Imaginum. 2. Quia Gelasius, severissimus Apocryphorum censor, nulla censura ea notavit, sed e contrà dixit a pluribus Catholicis legi. 3. Quia Romano Breviario sunt inserta. Secundum momentum eruitur ex Conc. Rom. ann. 324. in cujus exordio asseritur, *Constantinum baptizatum fuisse a Sylvestro Episcopo Urbis Romæ, & mundatum fuisse a lepra.* Tertium ex Nicolaio I. in Ep. ad Michaelem Imperat. ubi, post laudatum quoddam S. Sylvestri decretum, dicit: *Consonat huic sententiæ S. Sylvester, & magni Constantini baptizator.* Idem dicit Anastasius Biblioth. in Chronico. Nicephorus l. 7. Hist. Eccles. c. 33., & 34. narrat, Constantinum Romæ a S. Sylvestro fuisse baptizatum, idque probat ex Baptisterio Constantini, quod Romæ asservatur; & addit, figmentum esse Arianorum contra communem Ecclesiæ sensum, quòd Constantinus fuerit Nicomediæ baptizatus. Quartum deducitur ex Zosimo Ethnico, qui libr. 2. Histor. innuit, Constantinum hortatu, & consiliis cujusdam Ægypti ex Hispania adventantis fuisse Romæ baptizatum.

5. Arguunt ex congruentiis. 1. Incredibile videtur, pientissimum Imperatorem adeò superstitiosum fuisse, ut propter Baptismum in Jordane suscipiendum illum in finem vitæ distulerit, præsertim cum anno ante obitum id opportunè exequi potuisset, dum Orientis Episcopos Jerosolymam ad dedicationem Templi convocavit. 2. Quia, si Nicomediæ baptizatus fuit morti proximus, sequitur ipsum baptizatum fuisse ab Eusebio Nicomediensi Episcopo Ariano, sicque ipsum ab Ecclesia alienum obiisse. Quid verò hæc sententia respondet argumentis sententiæ contrariæ, dicemus in hujus expositione. Undè

Momenta Baptismi Constantino collati Nicomediæ sub finem vitæ.

PRimum petitur ex Eusebio Cæsarensi libr 4 de vita Constantini cap. 61. & 62. Ubi narrat, quomodò Constantinus morbo correptus ad aquas calidas Nicomedopolis jussit se deferri; quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primùm meruit accipere. Ex quo inferunt multi, tùnc tantùm factum fuisse Catechumenum, alioquin non dixisset primùm; siquidèm Catechumeni fierent ab Episcopis per manuum impositionem. Helenopi, ingravescente morbo, delatus est ad suburbana Nicomediæ, ubi cum coram præsentibus Episcopis perorasset, ardensque desiderium indicasset nùnc baptismum suscipiendi, *quod olim statuerat agere in flumine Jordanis*; exemplo Christi; prosequitur Eusebius: *Illi verò* (Episcopi) *solemni ritu divinas cæremonias peregerunt, injunctisque ei quæcumque necessaria erant, sacrorum Mysteriorum participem eum fecerunt. Solus igitur ex omnibus, qui unquam fuerunt, Imperatoribus Constantinus in Christi martyriis renatus, & consummatus est, & divino donatus signaculo exultavit spiritu.*

Opponunt prioris sententiæ Patroni, nullam hac in re fidem esse adhibendam Eusebio propter duo 1. Quia Eusebius pugnantia narrat. Scripsit enim antea, Constantinum omnibus viri Christiani, & fidei protectoris officiis functum fuisse, Concilio Nicæno interfuisse, leges pro Christianis dedisse: Ecclesias extruxisse, Hæreticos suis templis spoliasse, Gentiles ad fidem invitasse, jejunio, & orationibus vacasse in Tabernaculo imagine crucis insignito, quod habebat in castris, Dominicos dies, & Festa Martyrum celebrasse, *Sacrorum Mysteriorum participem, Pontificis atque Hierophantæ* (æditui) *munere functum, in Paschæ vigiliis cum cæteris* (Fidelibus) *pernoctasse*: l. 4 c. 22. Ità l. 1. c. 32. Præfixus est titulus: *Quomodò Constantinus Catechumenus factus Scripturas sacras legerit.* Et tamen l. 4. c. 61. cit. dicit, ipsum Helenopoli in Templo Martyrum sub finem vitæ primùm factum fuisse Catechumenum, ut priùs observatum est. 2. Quia Eusebius erat Arianus, & de Baptismo Constantino Romæ collato a S. Sylvestro siluit, ne Constantium ejus filium, qui ad partes Arianorum defecerat, argueret tamquàm paternæ pietatis desertorem.

Verùm reponunt hujus sententiæ defensores ad primum; his evinci quidèm Constantinum a cultu Idolorum ad fidem Christi esse conversum, & eum non solùm animo, sed etiam externa professione esse Christianum, non tamèn esse Christianum Baptismi collatione; hæc enim omnia præstare potuit absquè Baptismo. Nàm, quamvis dicatur orationibus cum aliis vacasse, non dicitur *in Ecclesia*, fortè enim in Palatio, ut sæpè solebat; & dato, diceretur *in Ecclesia*, non erat prohibitum Gentilibus, etiam non Catechumenis, orare cum Fidelibus in Ecclesia usquè ad Offertorium. Quod autèm dicat, *Ipsum fuisse participem Mysteriorum*, non intelligit, quòd admissus fuerit cum aliis Fidelibus ad communicationem, & participationem Sacramentorum, sed quòd Mysteriis Christi esset imbutus, & fidei particeps. Dicit, Pontificis, & Hierophantæ munere functum fuisse; quia suo mandato, & exemplo augustiorem reddidit solemnitatem Paschalem, accensis per totam civitatem in vigilia Paschæ cereorum columnis, & lampadibus, atque erogatis, illucescente die, largis eleemosynis. Ad 2. Estò Eusebius Cæsariensis fuerit Arianus, incredibile est ipsum splendidè mentiri in causa Arianos non spectante, & in hujus facti narratione cujus erat adhùc recens memoria, & in qua putidi mendacii ab innumeris penè testibus adhùc viventibus convinci potuisset; superstites enim erant, qui scirent Constantinum, & Romæ fuisse baptizatum, & Nicomediæ non fuisse baptizatum. Adde, Eusebium ab omni retrò antiquitate in iis, quæ non spectant Arianam hæresim, habitum sempèr fuisse, & laudatum tamquàm sincerum, & veracem Historicum. Quantùm ad titulum c. 32. reponunt, titulos istos non esse Eusebii, sed ab aliquo recentiore compositos; tùm quia de Eusebio loquuntur in tertia persona; tùm quia non reperiuntur iidem in omnibus editionibus; & revera illum, de quo est Quæstio, non reperio in Editione Coloniensi 1612 sed capite 26. l. 1. hunc lego titulum præfixum *Quomodò Constantinus Christianorum Mysteriis instructus, sacris litteris operam dederit.* Tùm quia Eusebius in toto isto c. 32. vel 26. nullatenus dicit, Constantinum factum fuisse Catechumenum, sed tantùm evocatis Episcopis visionem crucis aperuisse, & indè lectioni sacræ Scripturæ vacasse. Altera Baronii conjectura, inquiunt, utcumquè valeret, si Eusebius solùm tacuisset Baptismum Constantini, Romæ a S. Sylvestro collatum; at non solùm id tacuit, sed etiam asseruit baptizatum fuisse Nicomediæ sub finem vitæ. Insupèr nihil intererat Constantii, quandò, & ubi fuerat baptizatus Constantinus, ut in ejus gratiam tàm apertum mendacium fingeret Eusebius; erat enim aliundè toti Universo notum, Constantinum fuisse Arianæ hæreseos infensissimum hostem; consequentèr paternæ pietatis, & fidei desertorem esse ejus filium Constantium.

Secundum momentum, quo primum confirmatur, & Eusebii fides magis vindicatur, petitur ex sequentibus Scriptoribus, quorum nullus Eusebium mendacii arguit, sed omnes in ejus sententiam ierunt, &, Constantinum morti proximum Nicomediæ baptizatum fuesse, disertè asserunt, Socrates l. 1. c. 39. Sozomenus l. 2. c. 39. Theodoretus l. 1. Hist. Eccles. c. 32. S. Hieron. in Chronico ad ann. ultimum Constantini, & alii.

Tertium momentum eruitur ex Epistola Episcoporum Catholicorum in Conc. Arimilensi ad Constantium Imp. quæ legitur apud S. Athanasium l. de Synodis Arimini, & Seleuciæ, apud Socratem l. 2. c. 37. Sozomen. l. 4. c. 18. Theodoret. l. 2. c. 19. & S. Hilarium in fragmentis. In hac ergo Ep. Episcopi Catholici nullo intervallo sejungunt Baptismum Constantini ab ejus obitu; sic enim allocuuntur Constantium: *Fuit nobis persuasissimum, iniquum esse, cum Imperator Constantinus, ab obitu suo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura, & diligentia conscriptam promulgavit, tùm demùm ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est, aliquid novi in ea fide moliri velle.* Respondet Baronius, textum hujus Ep. esse adulteratum, & loco *Constantini* legendum esse *Constantem*: quia sic legitur in versione Latina S. Athanasii. At, reponunt alii, non advertit Eminentiss. Scriptor in textu Græco S. Athanasii legi *Constantinum*, & non *Constantem*: ità *Constantinum* legi apud Socratem, Sozom. Theodoret. & in omnibus Cedicibus scriptis, editis, ideòque ex oscitantia Interpretis, aut Typographi *Constantem* pro *Constantino* in versione Latina S. Athanasii irrepsisse. Insupèr Patres Arimenses scripsisse Constantinum & non Constantem, aut Constantinum juniorem, constat ex his, quæ paulò ante dixerant: *Indecens enim*, inquiunt, *& nefarium aliquid ex rectè & juxtè decretis, & ex rebus Nicææ cum Illustrissimo Principe Constantino Patre tuo per accuratam deliberationem constitutis, aliquid immutare velle.*

Quartum momentum est auctoritas S. Ambrosii, qui in Orat. habita in funere Theodosii Imperat. dicit, quod Constantino *Baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit.* His addunt S. Isidorum in Chron. ex Recentioribus, Æneam Sylvium in Dialogis biennio antè Pontificatum editis, Cardinalem Causanum l. 3. Concord. Cathol. c. 2. & alios.

Ad momenta verò prioris sententiæ sic respondent hujus posterioris assertores. Ad 1. dicunt, acta S. Sylvestri, patente ipso Baronio, patentissimis scatere mendaciis, sicque nullius esse ponderis argumentum ex illis deductum. Narrant si quidèm hæc acta ann. 315. Romæ congregatum esse Concilium 75. Episcoporum & 109. Sacerdotum Judæorum, exceptis 12. missis ab Isachar Pontifice ad Helenam, ut disserent coràm illa & Constantino filio de Religione; Helena quippè erat adhùc gentilis, sed à Judæis penè effecta Judæa, valdè commota in filium Constantinum, quòd Religionem Christianam amplexus esset, ad eum dedit litteras plenas blasphemiis adversùs Christum. Hæc putidissima, inquiunt, esse mendacia, nemo non videt, nec negat Baronius. Quis enim credat, Catholicos Episcopos conciliaritèr convenisse cum Judæis, ut de fide disputarent, & alios Judæos à suo Pontifice missos, cùm constet ab excidio Jerosol. nullum apùd Judæos creatum fuisse Pontificem, & Pontificis nomen esse extinctum? Itèm quis credat, Helenam tàm acritèr infensam in filium, ad eumque litteras iratas & blasphemas dedisse, cùm de hoc altum sit apùd veteres silentium? Aliud mendacium est, quòd S. Sylvester jejunium Sabbathi abrogaverit, ut referunt acta, cùm certum sit illud ab ejus successoribus fuisse religiosè servatum. Itèm mendacium est, quòd, ut refertur in actis, S. Sylvester instituerit primam diem hebdomadæ vocari *Dominicam*, cùm jam ità vocaretur tempore Apostolorum, Apocal. 1. Et ut ad subjectam materiam accedamus, falsissimum est, quod asserunt hæc acta, S. Sylvestrum latitasse in monte Soracte, ut Constantini persecutionem fugeret; cùm certum sit, Constantinum, antè plures annos ad Religionem Christianam conversum, eam ubiquè & omnibus modis fovisse ac protexisse. Paritèr falsum est, ut ferunt acta, Constantinum parasse sibi balneum ex sanguine puerorum, ut curaretur à lepra, sed ab ea Baptismo fuisse sanatum: præterquàm enim quòd nullus veterum tanti miraculi meminerit, cùm Julianus Apostata Christianis exprobraret Baptismum non mundare a lepra, ergo à fortiori nec a peccatis; S. Cyrillus Alex. l. 7. contra Jul. huic exprobrationi & argumento respondens, non dicit Constantinum fuisse Baptismo a lepra mundatum, quod dubio procul non omisisset, si res ità se haberet; sed respondet, Christum, qui tot miracula in corporibus hominum edidit, potuisse etiam aquis vim mundandi à lepra conferre; sed gratiam, quæ in Baptismo datur, potentiorem effecisse, & ad alios usus, scilicet ad medendum morbis animæ, esse nobis datam. Nulla ergo, inferunt, fides Actis, quæ his & pluribus aliis mendaciis sunt infarcta, nullius ponderis argumentum ex illis deductum. Quòd Adrianus I. hæc Acta laudaverit, nihil juvat, inquiunt; illa enim laudavit; quia ob antiquitatem aliqui conferre poterant ad asserendum cultum Imaginum; neque dicunt, omnia in eis contenta esse falsa. Gelasius illa nulla censura notavit, vel quia nil Fidei contrarium continent, vel quia Gelasii tempore non erant, sicùt nùnc adulterata & falsitatibus scatentia. Quantùm ad Breviarum Rom. respondent, ipsum hac in parte posse emendari, sicùt in pluribus aliis jam fuit emendatum.

Ad 2. respondent, hoc Concil. Rom. ann. 324. esse fictitium, aut intolerabiliùèr depravatum, multis argumentis probari. Inter alia, 1. quia in Prologo Photinus dicitur ibi condemnatus; cùm tamèn constet, hæresim Photini longè posteà emersisse, nec ante Conc. Sirmiense fuisse damnatam. 2. Dicitur, S. Helenam Constantini matrem huic Concilio cum filio interfuisse & subscripsisse, quod est ridiculum, & à moribus Ecclesiæ alienum. Omitto, hæc apertè pugnare cum Actis S. Sylvestri, quibus innititur præcipuè ista sententia. 3. Quia plures hujus Concilii Canones sunt prorsùs inepti, disciplinæ Ecclesiasticæ, imò & communi sensui repugnantes: v. gr. Can. 3. sancitum est, quòd non condemnabitur *Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, nisi, sicut scriptum est, in septem testimoniis, filios & uxores habentes, & omninò Christum prædicantes.* In primis nullibi id *scriptum est.* Insupèr ad quos referantur hæc verba, *Filios & uxores habentes*, non liquet: si ad Subdiaconum, Acolythum, &c. ergo non solùm possunt Subdiaconus & Minores Clerici, sed etiam debent habere uxores & filios; si ad testes, ergo nemo potest esse testis idoneus contra Clericum, nisi habeat uxorem & filios: utrumque autèm est absurdum. Can. 10. dicitur: *Nullus Episcoporum Virginem sacratam maritali consortio expetierit benedicere, nisi probaverit 72. annorum esse constitutam.* Quis autèm unquàm audivit Virgines maritali consortio consecrari, nec antè 72. annum posse benedici, aut nuptas posse consecrari? Can. 13. sancitur? *Nemo, nisi velamen cœleste acceperit primum conjugii per manus Sacerdotis, ad Clericatûs honorem accedat.* Quasi verò necesse sit priùs nubere, quàm fieri Clericum.

Ad 3. reponunt, Nicolaum I. adulteratis Actis S. Sylvestri circa Baptismum Constantini fuisse deceptum. Idem dicunt de Anastasio Biblioth. de Nicephoro & quibusdam aliis, majoremque fidem adhibendam esse antiquis Scriptoribus, Eusebio, Socrati, Sozomeno, Evagrio, Theodoreto, Patribus Arimenses, S. Hieron. Ambrosio, Isidoro, &c. quàm quibusdam Recentioribus: neque ex Baptisterio Romano, quod dicitur Constantini, solidum posse erui argumentum; potuit enim ità nominari, non quia in eo baptizatus fuit Constantinus, sed quia ejus munificentia in aliorum usum fuit extructum.

Ad 4. dicunt, narrationem Zosimi Ethnici à Scriptoribus Ecclesiasticis Sozomeno & Evagrio convinci falsitatis, & in odium Christianæ Religionis esse confictam. Vide Sozomenum l. 1. c. 5. Adde, quòd Zosimus non dicat, Constantinum fuisse Romæ baptizatum, sed tantùm quòd consiliis & hortatu istius Ægyptii *Principium impietatis hoc dedit, ut divinationem suspectam haberet.*

Ad 5. ex congruentiis. Ad 1. negant, superstitiosum esse velle exemplo Christi baptizari in Jordanis aquis, quas suo contactu specialitèr santificaverat ipse Salvator, sed è contra id esse pium, & à pluribus tunc religiosè frequentatum. Nec refert, quòd id opportunè potuerit priùs Constantinus; non enim quæritur, quid potuerit, sed quid fecerit. Ad 2. congruentiam duo reponunt. 1. Quamvis Hieron. & Isid. dicant, baptizatum fuisse ab Ariano, id tamèn non constat; id namquè silet Eusebius, & Gelasius Cyzicenus apùd Photium in Biblioth. cod. 88. contrarium asserit, referens *Constantinum baptismate tinctum ab Ortodoxo Sacerdote, non ut quidam prodierunt, ab Hæretico aliquo* 2. estò baptizatus fuerit ab Eusebio Nicomediensi non sequitur ideò eum factum fuisse Arianum, aut peccasse; quia Eusebius Nicomediensis, sese adhùc tùnc simbulabat Catholicum, & Concilio Nicæno subscripserat: nec nisi pòst obitum Constantini palàm apparuit hæreticus.

Observandum, Anselmum Havelburgensem Episcopum, ut utramque sententiam conciliaret, dixisse, Constantinum Baptizatum fuisse Romæ a S. Sylvestro, & rebaptizatum Nicomediæ ab Arianis. Verùm hæc conciliatio ut figmentum communitèr rejicitur. 1. Quia nullo antiquorum testimonio fulcitur. 2. Quia falsum est, tùnc temporis Arianos baptizatos a Catholicis rebaptizasse, sed tùm demùm tempore Wandalicæ persecutionis a Wandalis, & Hunnis Arianis id tentatum fuisse. 3. Quia non est credibile, Constantinum, qui Donatista rebaptizantes compresserat, sese rebaptizari passum fuisse. 4. Paritèr inverisimile est, Eusebium Nicomed. qui tùnc adhùc se Catholicum simulabat, Baptismum in Ecclesia collatum tamquam nullum iterare ausum fuisse.

DISSERTATIO IV.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

Div. Thom. a Quæst. 76. ad 72.

ARTICULUS I.

Varii effectus Baptismi recensentur.

PRæter Hæreticos, qui vel necessitatem, vel utilitatem Baptismi negaverunt, quorum non semèl meminimus in superioribus; Lutherani, & Calvinistæ contendunt per, Baptismum peccata non vere tolli, sed tegi tantùm, & non imputari; quem errorem confutavimus in Tract. de grat. Diss. 7. art. 1. Alios verò Baptismi effectus comminiscuntur, quos non agnoscit Ecclesia 1. Quòd Baptizatus non possit damnari, etsi velit, nisi nolit credere. 2. Quod Baptismus liberet ab obedientia legis tùm